





Tri. 62. num. 21.

14

1740, 1

SINGVLARIA
**QUERELÆ TESTAMENTI
INOFFICIOSI**

CAPITA,
TAM SECVNDVM JVS ROMANVM QVAM
GERMANICVM, AB ERRORIBVS DOCTO-
RVM VINDICATA,

ADSISTENTE NUMINIS DIVINI GRATIA,
AVSPICIIIS REGIÆ CELSITVDINIS,
SERENISIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI PETRI ULRICI,

HEREDIS NORVAGIÆ, SUPREMI DUCIS SLESVICI,
HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITHMARSIÆ,
COMITIS OLDENBURGI ET DELMENHORSTI

ET RELIQA,
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA
EX DECRETO AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS
P R Æ S I D E

AMANDO CHRISTIANO DORN, D.

REGIÆ CELSITVDINI DVCI SLESVICO HOLSATIÆ A CONSILII CAN-
CELLARIÆ, JVRIS GERMANICI ATQVE ROMANI PROFESSORE
ORDINARIO, ATQVE FACVLTATIS JVRID. DECANO,

PRO LICENTIA
DOCTORIS
IN JURE PRENSANDI HONORES
DIE V. NOVEMB. ANNO MDCCXL.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT



JOACH. CHRISTOPH. UNGNADE,

RÖBELENSIS MEGAPOLITANUS.

KILLÆ, LITERIS GODOF. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

P. 303



SINGULARIA
GUERRAE TESTAMENTI
INOFFICIOSI

CARITATE
TAM STONDVM IV ROMANVM OVAM
GERMANICVM AB ENOPIVS BO TO


ABSTINERE
AVSPICIS RE CIA GESSIVDINS
SIBERNIA PRINCIPIS AC DOMIN

IN CAROLI PRARI URIC
RUDIS NORVON SUPREMI DUCIS SLES
HOE SATIE STORMARIE AC DI THARSIE
COMITIS OEDENBURG HI DELAMBORSTI

REGTORIS MAGNIFICI A TIVIM
IN ALMA CHRIS TIA APTERTINA
EX DEBETO AMPNEM VIVS CIVITATVM FRANK
PR 2 2 2
AMANDO CHRISTIANO HORND

CELLARIE
COLLENDI A LIA FACULTAS IVAD DECAN
PROFECTA
BOCTORIS
IN VIVS FRANKVON HONORES

THE VIVONEM LANDI
PABICO FRIVATVYI ET SIVITET
IOACHIM CHRISTOM UNGNAD
SIVITETI
SIVITETI



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
EXHIBENS
SINGULARIA
QUERELÆ TESTAMENTI
INOFFICIOSI
CAPITA,
TAM QUOAD JUS ROMANUM QUAM
GERMANICUM, AB ERRORIBUS
DOCTORUM VINDICATA.

§. I. *Ab initio Jure Romano libera erat testandi exheredandique facultas.* §. II. *Usque dum insequenti tempore introduceretur querela testamenti inofficiosi.* §. III. *Quæ tamen varias subiit mutationes. Instituti ratio.* §. IV. *Quid sit testamentum & querela testamenti inofficiosi?* §. V. *Error Imus notatur, testamentum esse nullum, si persona, quibus debetur legitima, in testamento exheredata, non adjecta causa, quæ non adest; & probatur querelam potius inofficiosi testamenti locum habere, tam ex natura testamenti inofficiosi;* §. VI. *Quam ex ipsa Novellæ CXV. dispositione.* §. VII. *Refellitur argumentum, quo contraria stabilitur sententia, primum.* §. VIII. *Refellitur alterum, quod obstat, argumentum.* §. IX. *Error Ildus testamentum esse nullum, si quis ex justa sit exheredatus causa, cujus tamen in testamento mentio non facta, qui refutatur tam ex analogiâ juris;* §. X. *Quam ex novellæ CXV.* §. XI. *Removentur argumenta pro stabilienda*

bilienda contraria sententia adduci solita. §. XII. Error IIIIus querelam nullitatis, non testamenti inofficiosi, locum habere se causa generaliter testamento sit adjecta. §. XIII. Error IVIus: Querela testamenti inofficiosi opus non esse liberis, exhereditatis quidem, sed non ex justa causa in Novella CXV. expressa. §. XIV. Error VIus: Querelam testamenti inofficiosi locum non habere, si causa quidem justa in testamento expressa, sed ab herede scripto probari nequit. §. XV. Error VIIus: Postumo exhereditato testamentum nullum esse refellitur. §. XVI. Error VIIImus: Non inofficiosi iudicio, sed nullitatis querela exhereditato esse experiendum, qui exhereditanti post admissam ingratitude fuit reconciliatus. §. XVII. Error VIIIVus: Querelam inofficiosi esse oneris probandi translativam. §. XVIII. Recensentur differentiae inter querelam nullitatis & testamenti inofficiosi, notato simul errore IXno: querelam inofficiosi etiam non preparatam transmitti ad omnes descendentes. §. XIX. Error Xmus: Eum, qui inofficiosi querela experitur, sed succumbit, amittere emolumenta ipsi in testamento relicta. §. XX. Error XIus: Actionem suppletoriam expirare demum post 30 annos. §. XXI. Error XIIus: Hodie per acceptionem legati querelam inofficiosi perimi. Notatur tamen etiam Dn. Leyseri opinio. §. XXII. Error XIIIus: Expugnato per fratrem testamento inofficioso, legata etiam concidere. §. XXIII. Recensentur alii errores remissive. §. XXIV. Error XIVus, Testamentum esse nullum, si cognatis ab intestato succedentibus iure Lubec. quantitas der gsl. 4 pf. non relicta sit. §. XXV. Removetur dubium. §. XXVI. Et habet querela inofficiosi eo casu locum, si heredes ab intestato sint praeteriti, sive exhereditati. §. XXVII. Error XVus: Querelam inofficiosi non competere conjugi a defuncto conjugis in testamento a portione statutaria exclusae.



§. I.

antiquissimis Romanorum temporibus factum erat in arbitrio Patrum familias constitutum, ut, uti legassint super familia tutelave suæ rei, ita jus esset, (a) &, interprete

Ab initio Jure Romano libera erat testandi exheredandique facultas.

POMPONIO, *verbis legis duodecim Tabularum his: uti legassit rei suæ, ita jus esto, latissima potestas tributa videatur, & heredes instituendi & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi.* (b) Unde tantum aberat, ut propinqua cognatione conjunctis quidquam relinquere teneretur testator, ut potius ne liberos quidem vel exheredes scribere, vel præterire nefas crederetur, remota omni de eo querela; (c) præsertim, cum eo tempore testamenta in comitiis calatis facere moris esset, prævia rogatione magistratus: *velintne jubeatne Populus Romanus, ut Lucius Titius, Lucio Valerio tam jure legeque heres sit, quam si filius alius proximus heres esset;* & sublectis populi suffragiis: (d) omnia vero, quæ in comitiis prævia rogatione expedirent Romani, legis nomine venirent, (e) & hinc ultimæ hominum voluntates, ipso JUSTINIANO teste, constituerent nova Romani populi placita legesque succedendi novas; (f)

A

Quem-

- (a) L. 53. ff. de V. S. ULPIANI *Fragm. Tit. XI. §. 14.*
(b) L. 120. de V. S. Add. JOH. CAR. LANGGVTH *de genuino sensu L. 120. de V. S.*
(c) ROSINI *Antiquit. Roman. L. VIII. c. 6.* SCHVLTINGII *Jurispr. Antejust. p. 396. & p. 640.* THEOPHILI *Princ. Inst. de Inoff. Testam. III.* HEINECCII *Antiquit. Roman. L. II. Tit. X. §. 20.*
(d) GELLII *Noct. Attic. L. XV. c. 27.* CORNEL. van BYNCKERSH. *Observ. L. II. c. 1. p. 112.* CHRIST. THOMÆSIVS *de prim. inir. successiois testament. apud Roman.*
(e) GELLIUS *d. h. L. X. c. 20.*
(f) *Nov. XX. c. 2.*

Quemadmodum inde legem quoque cum testamento composuit CICERO: *In publicis nihil est lege gravius, in privatis firmissimum est testamentum*, scribens, (g) imo & ipsum testamentum vere & proprie legem appellari observamus a veteribus. (h) Quæ cum ita sint, fieri aliter non potuit, quam ut, sicuti lex, utut dura, tamen est sequenda omnemque excludit de ejus iniquitate cognitionem, ita quoque de æquitate testamentorum in comitiis factorum non magis judicare liceret, quam de legibus, sed secundum ea potius esset judicandum. De quo ratione liberorum eo minus dubitandum, quo certius de exorbitanti illa, qua nulla gens præter Romanos in orbe utebatur, patria potestate, seu, ut VALERIUS MAXIMUS (i) magis apposite loquitur, majestate constat. Quidni enim liceret patri hereditatem liberis adimere, quibus & vitam licuit, & quæ sua sunt bona, illis non concedere, cum &, qui ipsorum est, spiritum ipsis elidere. (k)

§. II.

Usque dum
insequenti
tempore
introduce-
retur Que-
rela test.
inoffic.

At enim vero, sublato postea testamenta faciendi in Comitiis modo, & privato privatorum arbitrio relicta dispositione de futura successione, cum testatores liberrima sua testandi facultate abuterentur, & nihil sapius accideret, quam ut non tam necessarios, quam liberos & parentes sine ulla causâ vel exheredarent vel præterirent, partim falso

(g) CICERO *Philipp. II. c. 42.*(h) *Excerpta de Legat. p. 62.* Add. Dn. HEINECCIUS *de orig. testament. fact. §. 16.* Dn. JOH. GOTTF. SCHAVMBURGII *select. testament. municip. capit. §. 3. sequ.*(i) VALERIUS MAXIMUS *L. VII. c. 7.* LIVIUS *L. III. c. 45.*(k) *L. ii. de Liber. & posth.* DIONYS. HALICARN. *Antiquit. Rom. L. III. c. 27. 28.* ABRAH. WIELINGII *Diss. I. de antiquo jure visæ & necis.*

falso instimulati, partim novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti, factum est, ut, sicuti generaliter rigidi patriæ potestatis effectus paulatim restringebantur, ita quoque huic causæ remedium quærere Romani studerent. Quem in finem, cum tam malignum de sanguine suo iudicium in virum sanæ atque integræ mentis haud cadere, & non nisi mentis non compos illum sine ulla vel iusta causa ab hereditate excludere posse videretur, furiosis autem LL. XII. Tabularum testamenta condere non permitterent, (l) sub quadam furoris fictione, quo testatorem accusabant, invaluit inofficiosi testamenti querela, qua præterito aut inique exheredato succurrebatur; (m) dubio ac incerto plane inter eruditos auctore, nonnullis ex edicto Prætoris eam descendere putantibus: (n) aliis legi cuidam Glicia eandem adscribentibus: (o) plurimis vero ejus originem ex interpretatione Prudentum, insequenti tempore in LL. approbata, repetentibus, (p) idque ratione maxime verosimili, quippe cum partim eorum, quod ostendit G O T T F R.

A 2

MA-

- (l) L. 1. qui Testam. facere possunt. ULPIANI Fragm. Tit. XII. §. 2.
 (m) L. 2. §. 5. ff. de Testam. inoffic. unde ejusmodi testamentum inofficiosum tanquam furiosi iudicium damnat L. 19. de Testam. inoffic. & Ebutiæ tabulas testamenti, in quibus filia sine ulla causa erat exclusa, plenas furoris dixit Valerius Maximus L. VII. c. 8.
 (n) PITHOEVS ad Collat. Leg. Mosaic. & Roman. Tit. XVI. §. 3. RAN-
 CHINI Edict. perpet. restit. L. V. Tit. 3.
 (o) CVJACIUS ad Pauli rec. sent. L. III. Tit. VIII. §. pen. & in Obs. L. II. c. 21. L. III. c. 8. L. XIV. c. 14. ANT. AVGVSTINVS de LL. & Sct. voc. Glicia. JOH. VINC. GRAVINA de LL. & Sct. n. 80. p. 649.
 (p) CORNEL. van BYNCKERSHOECK L. II. Obs. Jur. Rom. c. 12. JOH. van de WATER L. I. Obs. Jur. Rom. c. 2. HVGO DONEL-
 LVS L. XIX. c. 3. HOTTOMANNVS de quarta legitima. SIM. PET. GASSER de orig. Querel. inoffic. III. HEINECCH Antiquit. Rom. L. II. Tit. 18. §. 5. sequ. Edit. post.

MASCOVIUS (q) in centumvirali iudicio, ubi hæc visiones discutiebantur, auctoritas fuerit maxima, partim latissimam illam heredes instituendi potestatem verbis XII. Tabularum tributam vel INTERPRETATIONE LEGUM vel AUCTORITATE JURA CONSTITUENTIUM coangustatam esse asserat JCTus; (r) Qua vero e contra ratione illud possit adscribi vel edicto Prætoris, vel legi cuidam Glificæ non satis appareat, cum quoad prius hæc querela neque pertineret ad cognitionem Prætoris, neque sit annalis ad modum aliarum actionum Prætoriarum, quæ tendunt ad rescissionem actus stricto jure validi, & textus Pauli, (s) quo sententiam suam stabilire credit PITHOEUS, de querela inofficiosi testamenti plane non possit intelligi, ceu doctissime ostendit Ill. HEINECCIUS; (t) quoad posterius autem nondum constet, an talis unquam Lex Glificæ exstiterit, & an non, si exstiterit, Cajus obiter saltem hujus querelæ mentionem fecerit, ne dicam inscriptionem L. 4. ff. de Inoffic. testam. ad quam provocat CVJACIUS, sententiæ hujus defensor strenuus, in quibusdam editionibus non semper esse eandem, uti docuit CORNEL. van BYNCKERSHOECK. (u) Et quid etiam denique legi opus fuisset fictione? siquidem fictiones ab iis saltem adhibitas fuisse, qui nulla gaudentes legislatoria potestate vetera tamen jura vel adjuvare vel supplere vel corrigere sibi sumebant, historia juris loquatur. (v) §. III.

(q) GOTTFR. MASCOVIUS *de Sect. Sabin. & Proculej. c. 2. §. 4.*

(r) L. 120. de V. S.

(s) PAVLI *Rec. sent. L. IV. Tit. 8. §. 5.*

(t) HEINECCI *Diss. de Levis not. macula §. 10.*

(u) CORNEL. van BYNCKERSHOECK L. II. *Obs. c. 2.*

(v) Conf. RÆVARDVS *de Autorit. Prudent. c. 12.* a cujus impugnationibus sententiam suam defendere quidem voluit CVJACIUS *in Obs. d. l. sed RÆVARDO a CVJACIO factum esse non satis, jam dudum JCTi rite judicaverunt, vid. SCHILTERI Exerc. ad ff. XIV. §. 10.*

§. III.

Quamvis interea in parentes saltem, liberos suos absque justa causa hereditate privantes, proprie caderet effecta illa & ex maligno de sanguine suo iudicio deducta furoris species, quæ tamen fundamentum inofficiosi testamenti querelæ præbet, (§. II.) & hinc non nisi liberis injuste hereditate parentum privatis eadem competere deberet, sicuti & re vera initio iis tantum eo modo subveniri cœpit; jus tamen illud, ceu fieri solet, non ita multo post profusa iudicum in admittendis querelis facilitate etiam ad alios agnatos non solum extensum fuit, verum etiam amicos nullo sanguinis vinculo nexos, si de testante se bene meritos, vel propensam ejus voluntatem aliquando vel verbis vel factis prolatam probarent, quemadmodum eum in finem insignis ille in materia de querela Testamenti inofficiosi auctor VALERIUS MAXIMUS testamenta recensuit plurima, quæ vel ob præteritionem fratrum aliorumque cognatorum, vel ea propter, quod testatores alios aut bene de se meritos aut sibi familiarissimos, aut Advocatos & Patronos nulla hereditatis parte honoraverant, judicavit inofficiosa. (w) Quibus vero ita se se habentibus, cum non posset non fieri, quin hac potestate iudices abuterentur, qui sub prætextu violatæ humanitatis æquitatisque casum pro amico respondere volebant, & uti ULPIANUS ingenue fatetur, (x) quin in una eademque causa diversæ sententiæ proferrentur, merito hoc iudicis arbitrium legibus erat circumscribendum. Quod ab initio quidem non tam lege certaj, quam jure non scripto factum videtur, utpote cum ULPIANUS

Quæ tamen varias subit mutaciones. Instituti ratio.

A 3

cogna-

(w) VALERIUS MAXIMUS L. VIII. c. 7. 8.

(x) L. 24. de Inoffic. Testament.

cognatos quidem adhuc admittat, (y) sed alio iterum loco hoc saltem addat, (z) quod cognati proprii, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumtibus inanibus non vexarent, cum obtinere spem non haberent. Unde, nisi omnia me fallunt, colligere licet, eo adhuc tempore nullam legem prohibitivam, sed saltem varias difficultates adfuisse, ut raro cognati querela inofficiosi agentes victores existerent, usque dum tandem Principibus constituere placeret, ut nullus cognatus ad inofficiosi querelam admitteretur, sed parentes saltem liberis suis, liberi sine prole decedentes parentibus suis, fratres denique, si turpis vel levis notæ macula notata persona iis prælata, sibi invicem certam hereditatis partem, quam vocant legitimam, relinquerent (a) aut ex justa causa illos eadem privarent, alias vero injuste præteritis vel exhereditatis querela inofficiosi experiri liceret. Verum enim vero, cum, si quo unquam, in hoc sane argumento de Querelæ J. T. indole DD. plus vice simplici fallâ pro veris venditare mihi videantur, periculum facere decrevi, an non contrariam eorum sententiam magis fundatam esse, tam ex inofficiosi testamenti querelæ natura, quam legibus ipsi demonstrare valeam. Quamquam enim me non fugiat JOH. CASP. BRENDELIIUM, JOH. HENRICUM FELTZIUM, JOH. HENR. FUCHSIUM, MICH. HENR.

(y) L. 6. d. t.

(z) L. 1. d. t.

(a) Cui vero legi, aut cui juris parti legitima suam debeat originem, res est valde ambigua; Plurimis antiquitatum Romanarum scrutatoribus eam ex lege Flacidia, qua cautum legimus: *ne quis plus testamento leget, quam ut quarta hereditatis supersit*, originem trahere. & magna veterum Jctorum auctoritate, Prudentumque interpretatione sensim esse inductam existimantibus. Cf. L. 8. §. 9. & 14. ff. de inoffic. testam. CORNEL. van BYNCKERSHOECK L. II. Obs. c. 12. Dn. HEINECII *Antiquit. Rom. L. II. Tit. 17. §. 7.* ULR. HYBERI *Prælect. jur. Civ. T. III. L. 35. tit. 2. n. 1.*

HENR. GRIEBNERUM, PHIL. BALTHAS. GERDESIUM, FERD. AUG. HOMMELIUM, TOB. JAC. REINHARTHUM, JUST. HENN. BÖHMERUM, SIMON. PET. GASSERUM, SIG. CHRISTOPH. JESTERUM, FRANC. STEPH. HOFFBAUERUM, aliosque in Bibliotheca Lipenio-Jenichiana recensitos Autores integris opusculis (b) eam exposuisse, tantum tamen abest, ut tot tantaque nomina a pertractatione hujus materiae abstertere potuerint, ut potius horum scriptorum perlectio magis magisque animum meum ad coeptum perficiendum confirmaverit, propterea quod animadvertem, Auctores illorum vel speciale aliquod thema saltem edisseruisse, vel eosdem cum reliquis Systematum & Compendiorum scriptoribus erravisse errores; hanc tamen mihi exinde legem dicendo, ut non universam de querela inofficiosi testamenti materiam perorem, neque opiniones communes ab aliis jam ex professo, quod ajunt, impugnatos, iterum refellam, sed errores saltem hactenus nondum deductos, quosque vel cuncti vel tantum non omnes sequuntur, investigem.

§. IV.

(b) JOH. CASP. BRENDELIVS de *Querela inoffic. testam.* JOH. HENR. FELTZ *Excerpta Controvers. Illustr. de testam. inoffic.* JOH. HENR. FVCHS de *impugnari. testamenti fratrum. per querel. inoffic.* MICH. HENR. GRIEBNER. *utrum fratres instituta querela inoff. testam. probare teneantur se non fuisse ingr.* PHIL. BALTH. GERDES de *usu querel. testam. inoffic.* FERD. AVG. HOMMEL de *Victoria Querel. inoff. tertio profic.* T. J. REINHARTH de *querelar. nullit. & inoff. testam. differentis & us. earund. pract.* J. H. BÖHMER de *Querel. inoffic. frat. Consangu.* SIM. PET. GASSER de *orig. Querel. inoffic.* SIG. CHRISTOPH. JESTER de *exiguo usu. Querel. inoffic. testam. in for. Pruten.* FRANC. STEPH. HOFFBAUER. *Divort. theor. & pract. circa querel. inoffic. testam.* ut ut enim Dissertationem hanc inspicere non licuit, quantum tamen ex citatione hujus scripti a Dn. Reinhartho l. c. facta colligere licet, neque in ea hi errores sunt detestati, praesertim cum jam seculo priori eam esse conscriptam edoceamur, & tamen, quemquam ejus hanc in rem mentionem fecisse, non appareat.

§. IV.

Quid sit
testamen-
tum inoffi-
ciosum &
Querela
inofficiosi
testamen-
ti?

Quemadmodum officium pietatis, quod omnibus sanguine nobis junctis debemus, efflagitare videtur, ut, quod iussit Legislator Romanus, imprimis liberos, hisque deficientibus parentes, atque si turpis vel levis notæ macula notata persona in testamento heres scribatur, fratres fororesque etiam heredes instituamus, si modo nihil commiserint, quo eo beneficio se indignos reddiderunt: ita nihil tam naturale, quam ut, si nihilominus eadem personæ, ejusmodi ingratitude non reæ, hereditate fuerint exclusæ, contra officium pietatis hoc factum dicatur, ipsamque talem dispositionem vocemus inofficiosam. Sicuti eam ob causam MARCIANUS (c) testamentum, quod recte quidem, sed non ex officio pietatis factum, dixit inofficiosum, & iisdem verbis ipse Imperator JUSTINIANUS (d) illud definivit: omnium autem optime istud hoc modo explicante MARCELLO: *Inofficiosum testamentum dicere, hoc est, allegare, quare exheredari, vel præteriri non debuerit.* (e) Quibuscum consentit ISIDORUS HISPALENSIS: *Quod sine officio naturalis pietatis in extraneas personas redactum est, nomine testamenti inofficiosi venire allegans.* (f) Ut adeo testamentum inofficiosum sit, in quo, rite i. e. secundum solennitates requisitas confecto, liberi, parentes, & instituta turpi vel levis notæ macula notata persona, fratres contra officium pietatis sunt exclusi: & querela testamenti inofficiosi hinc non possit non esse actio, qua liberi, parentes &, instituta turpi vel levis notæ macula notata persona, fratres

(c) L. 2. ff. de inoffic. testament.

(d) §. 1. J. d. t.

(e) L. 3. ff. d. t.

(f) ISIDORVS HISPALENSIS Orig. L. IV. c. XXIV.

fratres in testamento, rite confecto, hereditate contra officium pietatis exclusi, allegant, quare exheredari vel præteriri non debuerint.

§. V.

Quod si quis illum, quem necessario heredem institue-
re tenetur, exheredavit in testamento suo, non adjecta ex-
heredationis causa, aut adest justa causa, ob quam illum ex-
heredare potuit, aut non adest. Exheredavit ergo, casum
quod attinet posteriorem, illum, qui exheredationem non
meruit. Quam ob rem, cum hic contra officium pietatis
exclusus dicatur (§. IV.) & consequenter agendo alleget,
quare exheredari non debuerit, quo casu querela obtinet
inofficiosi (§. IV.) tunc cum quis fuerit exheredatus, non
adjecta exheredationis causa, quæ non adest, querela com-
petit inofficiosi. Quamvis enim MATTH. WESENBE-
CIUS, HENR. HAHNIUS, GEORG. AD. STRUVIUS,
SAM. STRYCKIUS, CHRIST. THOMASIVS, JOH. JOACH.
SCHOEPFFERUS, JOACH. HOPPIUS, JAC. FRID. LU-
DOVICI, JOH. HENR. BERGERUS, CASP. a RHEDEN,
SAM. de COCCEJI, JUST. HENN. BÖHMERUS, TOB.
JAC. REINHARTH, SIGISM. CHRISTOPH. JESTER,
SIMON. PET. GASSER, (g) & reliqui Juris Romani in-

Error Imus
notatur, te-
stamentum
esse nullum,
si personæ,
quibus de-
betur legiti-
ma, in testa-
mento exhe-
redatæ, non
adjecta cau-
sa, quæ non
adest; & pro-
batur quere-
lam potius
I. T. locum
habere tam
ex natura

T. I.

B

ter-

(g) MATTH. WESENBECIUS *ad ff. Tit. de inoff. Testam. n. 7.* ibique
HENR. HAHNIUS. GEORG. AD. STRUV. *Synt. Jur. Civ. Ex. 10.*
th. 15. & Ex. 32. th. 26. SAM. STRYCK. *in V. M. Tit. de Inoffic. testam.*
§. 4. CHRIST. THOMASIVS *ad ff. cit. tit. p. 102.* JOH. JOACH.
SCHOEPFFERUS *Syn. Jur. priv. cit. tit. n. 6. 34. 36.* JOACH. HOP-
PIUS *in Comment. ad §. 1. J. de inoffic. testam.* JAC. FRID. LYDO-
VICI *doctrin. ff. cit. tit. §. 10.* JOH. HENR. BERGER *in Oecon. Jur.*
L. II. tit. 4. §. 14. not. 2. CASP. a RHEDEN *de exheredat. absque Elo-*
gio. SAM. de COCCEJI *Jus Controv. tit. cit. qu. 7.* JUST. HENN.
BÖHMERUS *in Jur. digest. tit. all. §. 12.* TOB. JAC. REINHARTH.
de Querel. nullit. & inoffic. testam. different. §. 8. SIGISM. CHRIS-
TOPH. JESTER *de exiguo usu querel. testamenti inoffic. §. 8.* SIM-
ON. PET. GASSER. *de orig. querela inoffic. §. 22. & 23.*

terpretes tantum non omnes (h) querelæ nullitatis potius hoc casu locum esse dandum opinentur, ex novellis legibus ad exheredationem rite faciendam desiderari quoque, ut causâ exheredationis exprimatur, putantes, mihi tamen veritatem ejus rei hæcenus cognoscere non licuit. Provocant sc. ad Novellam CXV. c. III. atque illud ibi disertis contineri verbis lectori persuadere conantur, propterea quod mox in Novellæ ipsius exordio Imperator disponat: *se in præsentî sancire, ne liceat patri vel matri, avo vel avia, proavo vel proavia suum filium vel filiam aut coeteros liberos præterire vel exheredes in suo testamento facere, nec si per quamlibet donationem vel legatum vel fideicommissum vel alium quemcumque modum eis dederit legibus debitam portionem, nisi forsân probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas suo inseruerint testamento.* Verum quis est, qui, seposito omni autoritatis præjudicio, illud exinde colligere possit? Causam exheredationis in testamento esse exprimendam Justinianum præscribere voluisse satis patet. Ubinam vero habetur, ea non expressa testamentum esse nullum, querelamque nullitatis tunc locum habere, non querelam testamenti inofficiosi? Non eo sane animo hunc Legislatorem hanc condidisse Novellam, ut novas solennitates ritusque testamento præscriberet, sine quibus non esset testamentum, sed potius hunc saltem sibi eum proposuisse finem,

ut

(h) Inter eos, qui mecum hoc casu sentiunt, referri posse videntur HENR. ZOESIVS *ad Dig. tit. de inoffic. testament. n. 49.* WOLFFG. AD. LAVTERBACH. *ad Dig. tit. cit. p. 107.* ARNOLD. VINNIUS *L. II. Quest. c. 21.* sed partim hoc tam obscure produunt, ut difficile sit dictu, an ipsis de Jure Romano antiquo sermo sit, ubi hæc questio non erat dubia, an vero de Jure Novellarum, de quo saltem controversitur; partim optimam causam pessime defendunt, ut nullus mirer, Doctores huic sententiæ assensum suum præbere hæcenus noluisse.

ut omni, quo fieri posset, modo præcaveret, ne contra officium pietatis personæ, quæ necessario heredes sunt scribendæ, hereditate privarentur, quod parit inofficiosi testamenti querelam, (§. IV.) ex eo etiam apparet, quod in eadem novella (i) dicatur: *Hæc autem disponimus, ut & parentes & filios a testamentorum injuria liberos reddamus.*

§. VI.

Sed quid moror longinqua? Ipsa in contrarium a diffidentibus allegata Novella CXV. nostræ suum addit cal-
culum sententiæ. Sic enim in capite ejusdem Novellæ tertio, postquam præmissum erat, vi verborum §. præcedenti insertorum, ipsas nominatim ingratitude causas testamento esse inferendas, adjicitur: *Si autem hæc observata non fuerint, nullum exheredatis liberis præjudicium generari, sed quantum ad institutionem heredum pertinet, testamento evacuato ad parentum hereditatem liberos, tanquam ab intestato, pervenire. Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis quedam legata vel fideicommissa aut libertates aut tutorum dationes relinqui, vel qualibet alia capitula, concessa legibus nominari, ea omnia jubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam IN HOC NON RESCISSUM obtineat testamentum.* Sicuti etiam in capite quarto statutum legimus: *si tales igitur causas vel certas aut unam ex his liberi suis testamentis inscripserint & scripti ab eisdem heredes aut omnes, aut certas, aut unam ex his probaverint, testamentum in sua firmitate manere præcipimus. Si autem hæc omnia observata non fuerint, nullam vim hujusmodi testamentum, quantum ad institutionem heredum habere sancimus: sed RESCISSO TESTAMENTO, eis qui ab intestato ad hereditatem defuncti*

Quam ex ipsa Novellæ CXV dispositio ne.

B 2

vo-

(i) Novella CXV. c. 5. pr.

vocatur, res ejus dari disponimus. Quis enim est ex numero etiam ipsorum dissentientium, qui non evidentia textuum convictus fatetur, hunc esse horum textuum sensum, quod omnis exheredaturus causam exheredationis in testamento exprimere debeat, alias vero ipsum testamentum pro evacuato & rescisso esse habendum. Jam vero vocabulum rescissum ejus est naturæ, ut de inofficioso, non de nullo, prædicetur testamento, quemadmodum non significatus solum hujus vocis grammaticalis nobis ob oculos ponit, utpote cum, si quid rescindendum, aliquid adesse debeat, quod rescindi possit, ei autem, quod est nullum, tanquam non enti, nullæ competere queant affectiones, & sic neque hoc de eo prædicari, quod sit rescindendum, quia eo ipso, cum hoc de eo prædicatur, sequitur, ut existat & non sit nullum; sed præcipue etiam ex ipsis LL. illud discimus. Ut enim taceam, illud ipsum etiam ex eo apparere, quod nullæ unquam actiones, quibus in jure tribuitur effectus rescissionis, oriantur ex negotio aliquo nullo, sed quod istæ semper, uti apparet ex natura actionum, quas dicunt rescissorias, præsupponant actum stricto jure validum, ad quem rescindendum tendunt & sic etiam non in querelam nullitatis cadere possit notio rescissi, omnium optime ULPIANUS in hunc finem edisserit: *SI EX CAUSA DE INOFFICIOSO cognoverit judex, & pronunciaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum ipso jure RESCISsum EST* (k) & alio iterum loco: *sed nec impuberis filii mater INOFFICIOSUM TESTAMENTUM dicit, quia pater ei hoc fecit: nec patris frater, quia filii testamentum est: ergo nec frater impuberis, si patris non dixit. Sed si in patris obtentum est, nec hoc valebit, nisi pro parte patris RESCISsum EST.*

(k) L. 8. §. 16. de inoffic. testament.

EST. (l) Cui confona sunt, quæ IDEM de casu, si is obtinuerit, cui querela non competebat, respondit: *si quis cum non possit DE INOFFICIOSO queri ad querelam admissus pro parte RESCINDERE testamentum tener.* (m) Neque tamen is est solus, quo auctore, in materia infirmationis ultimarum voluntatum effectum rescissi esse prædicatum querelæ testamenti inofficiosi, asserimus, sed PAULUS quoque eidem adstipulatur, dum: *si de INOFFICIOSO TESTAMENTO patris alter ex liberis exhereditatis ageret, quia RESCISSEO TESTAMENTO alter quoque ad successionem ab intestato vocatur, ideo universam hereditatem non recte vindicasse,* scribit, (n) & iterum lege alia, filiam a matre præteritam, INSTITUTA TESTAMENTI INOFFICIOSI QUERELA, non totam hereditatem vindicare posse, testetur, addita ratione, *cum RESCISSEO TESTAMENTO etiam instituta filia salvum jus sit ad eundem hereditatis.* (o) Quin & ipsos Imperatores testes hujus rei producere possumus. Sic enim DIOCLETIANUS & MAXIMINIANUS testamentum militis filii familias in castrensi peculio factum neque a patre neque a liberis ejus per INOFFICIOSI QUERELAM RESCINDI POSSE, constituerunt. (p) Sic CONSTANTINUS Claudio Præfidi provinciæ Daciæ: *sin mater contra filii TESTAMENTUM INOFFICIOSI ACTIONEM INSTITUAT, inquiri diligenter jubemus, utrum filius nulla ex justa causa læsus matrem in novissima læserit voluntate, eo quod neque luctuosam & legitimam reliquerit portionem, ut TESTAMENTO*

B 3

(l) L. 8. §. 5. d. t.

(m) L. 25. §. 1. de inoffic. testament.

(n) L. 17. d. t.

(o) L. 19. d. t.

(p) L. 24. C. d. t.

MENTO RESCISSO *matri successio deferatur*, rescriptit. (q) Sic Imperator JUSTINIANUS: *Quoniam*, ait, *in prioribus sanctionibus illud statuimus, ut si quid minus legitima portione his derelictum sit, qui ex antiquis LL. de INOFFICIOSO TESTAMENTO actionem movere poterant, hoc repleatur, ne occasione minoris quantitatis TESTAMENTUM RESCINDATUR.* (r) Sic denique IDEM *quod liberi succedentes in locum patris sui ex ejus persona querelam INOFFICIOSI INSTITUERE & sic TESTAMENTUM RESCINDERE possint*, refert. (s) Cum e contra, quantum mihi ex perle-
ctione Corporis nostri Juris Justiniani, præsertim ex titulis institutionum, Digestorum & Codicis, etiam hanc materiam quodammodo saltem concernentibus, constat, vocabulum rescindere nunquam accommodetur neque testamento nullo, neque nullitatis querelæ. Unde jam vel me tacente quilibet colligendo judicabit: Ergo si quis, qui necessario heres erat instituendus, in testamento est exheredatus, non adjecta exheredationis causa, quæ non adest, querela inofficiosi ex ipso Justiniani in legibus novellis præscripto locum habet.

§. VII.

Refellitur
argumen-
tum, quo
contraria
stabilitur
sententia,
primum.

Ne vero quid prætermittam, quod ad vindicandam hanc sententiam meam ab impugnationibus contra sententium pertinere potest, paucis eorum argumenta, quibus suam firman opinionem, perlustrare, e re erit. Prima autem eorum argumentatio huc redit: Ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia sunt, sed pro infectis etiam habentur, licet legislator fieri prohibue-
rit

(q) L. 28. C. de inofficioso testamento.

(r) L. 32. C. d. t.

(s) L. 34. C. d. t.

rit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est, adeo ut si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicante lege factum, illud quoque cassum atque inutile sit, præcipiente ita Imperatore THEODOSIO & VALENTIO. (t) Atqui prædicta Novella expressis sancit verbis non licere personas, quibus debetur legitima, exheredes in testamento suo facere, nisi ex justa & in legibus approbata causa hæcque in testamento adjiciatur. Ergo testamentum, in quo personæ quibus debetur legitima, sunt exheredatæ, non adjecta exheredationis causa, quæ non adest, nullum est, adeoque nullitatis querela infringitur. Verum enim vero cum illa regula, loco propositionis majoris prolata, non procedat, ubi lex aliquid fieri vetat, & pœnam, si contra factum erit, nominatam constituit, non actum annullando, sed ita, ut, quod factum est, valere aliquo modo & subsistere patiatur, ceterum remedium suppeditet, quo id postea rescindatur, aut alias infirmetur, quo casu, quod factum, ipso jure subsistit, manente saltem illo effectu pœnave, quam lex constituit, uti hoc ulterius per inductionem ex copia exemplorum ex juris campo defunctorum petitam probavit ARNOLD. VINNIUS; (u) Jam autem Imperator, si quis in testamento causam exheredationis factæ non adjecerit, querelam adversus illud testamentum inofficiosi in eadem Novella dederit, (§. V. VI.) non est, cur metuamus ab illo argumentationis genere.

§. VIII.

Pergunt ulterius & dicunt, vocabulum rescindere Refellitur
quidem, si de jure prædicetur, non involvere nullitatem, alterum,
bene vero, si a lege ipsa aliquid rescissum dicatur, eamque quod ob-
stat, argu-
mentum.

(t) L. 5. C. de LL. & Constit. Princip.

(u) ARNOLD. VINNIUS in Quæst. L. I. c. I.

ob causam in Novella allegata nomine testamenti rescissi, testamentum nullum, esse intelligendum affirmant. At dicant velim Viri venerandi, qua fide hoc asserunt. Mihi sane, Justinianum hanc nobis præscripsisse notam characteristicam non constat; quin ipsum inofficiosi testamentum quoque tanquam ipso jure rescissum declarat ULPIANUS, (w) quod tamen nemo eorum ita interpretabitur, ac si Ulpianus testamentum inofficiosum esse nullum dixisset, urpote quod contradictionem involvit. Et quid si etiam, veram esse eam propositionem, concederem, an ex his Novellæ: *tanquam in hoc non rescissum obtineat testamentum*: item, *sed rescisso testamento, eis qui ab intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res ejus dari disponimus*, aut aliis ejus forsitan verbis patescit ab ipsa lege in eadem novella rescindi testamentum? Non puto. Phraseologiam in legibus §. VI. relatis de rescissione testamenti inofficiosi adhibitam non ita esse accipiendam, ut a lege ipsa rescindatur testamentum, quilibet, nisi qui inepte ex testamento inofficioso oriri querelam nullitatis statuere vellet, (§. IV.) mecum fatebitur. An vero quid interest, si PAULUS ibidem, *quod rescisso testamento reliqui quoque ad successionem vocentur*, vel CONSTANTINUS, *quod præterita matre rescisso testamento successio eidem deferatur*, constituerint: & si JUSTINIANUS in Novella adferit, *quod rescisso testamento, eis, qui ab intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res ejus dentur*, nec non *quod quoad reliqua testamenti capitula extra heredis institutionem tanquam non rescissum obtineat testamentum*? Aut an ratio sufficiens dari poterit, quare in legibus prioribus sub hoc dicendi genere *rescisso testamento* ipsa lex non rescindat testamentum; in Novella autem per eandem phrasin rescindat? Nonne itaque

(w) L. 8. §. 16. de inoffic. testament.

itaque potius urgentissima adest præsumtio, eodem hoc esse accipiendum sensu in Novella CXV, quo accipitur in legibus Pandectarum & Codicis, id est, ut a iudice rescindatur? sed sunt hæc etiam atque alia ejus generis dubia eo minori attentione digna, quo certius constat, jure civili antiquo personas exheredatas exheredationem, etiamsi sine causa factam, non aliter, nisi inofficiosi iudicio, evellere potuisse. (x) Quod si mutare constituisset Imperator, aperitui sine dubio mentem suam explicaturus fuisset, veluti qui non facile solet quicquam de jure veteri mutare, nisi cum expressa mentione ejus juris, quod abrogare constituit, & commendatione novi, haud ignarus, mutationem non præsumi, sed evidentissime esse docendam.

§. IX.

Majorem alter casus videtur habere dubitationem, si Error Idus
 justa quidem adsit exheredationis causa, ea tamen in testa-
 mento non adjecta, utpote cum hic exheredatus contra tum esse nul-
 officium pietatis exclusus dici non possit, quod tamen est lum, si quis
 querelæ inofficiosi fundamentum (§. IV.) & sic querela nul- ex justa sit
 litatis exheredato potius, ut præ se fert speciem, sit exhe- exheredatus
 riundum. (y) Sed videtur saltem pluribus dubiis hæc causa, cujus
 quæstio obnoxia. Quotiescunque enim de aliquo ex testa- tamen in tes-
 mento non apparet, quod statim ante consummationem testa- tamento
 menti in ipso testamento nobis ob oculos poni potuisset, mentio non
 toties illud, quod ex testamento non apparet, habetur, ac facta, qui re-
 si plane non adesset, adeo ut ne probatio ejus extrinseca futatur tam
 ex analogia
 juris;
 C qui-

(x) §. 1. & 2. J. de Exheredat. liberor. L. 5. §. 1. de inoffic. testament.

(y) Eundem vero hic iterum errant errorem omnes Doctores, quos allegavimus §. 8. ll. cc. Quibus in specie jam addo JOH. BRVN- NEM. Dec. Cent. V. Dec. 44.

quidem admittatur, docente ULPIANO.(z) Quodsi autem causa exheredationis iusta quidem adsit, ea vero in testamento non expressa, de causa exheredationis ex testamento non constat, quam tamen ante consummationem testamenti adicere potuisset. Ergo si iusta exheredationis causa adest, ea vero in testamento non expressa, habetur, ac si nulla plane causa exheredandi adest, etiamsi heres scriptus eam probare velit. Si nulla exheredandi causa adest, & tamen facta exheredatio, querela inofficiosi locum habet. (§. V. VI.) Ergo si iusta exheredationis causa adest, ea tamen in testamento non expressa, exheredato datur querela testamenti inofficiosi.

§. X.

Quam ex
Novella
CXV.

Et quidni etiam hæc JUSTINIANI ipsius in Novella sæpius citata fuit intentio? qui testamentum esse rescindendum, id est, querela inofficiosi impugnandum (§. VI.) disposuit: *si hæc omnia non fuerint observata*, uti Imperator loquitur. Inter ea autem, quæ exheredaturo observanda in antecedentibus præscripsit, non sufficit, *si probabuntur ingrati*, id est, si iusta exheredandi causa adsit, sed præterea requiritur, *ut ipsa nominatim ingratitude cause in testamento fuerint insertæ*. Cum igitur, si hoc non factum, etiamsi iusta adsit exheredandi causa, eaque probari possit, dicere quis non valeat, quod omnia, quæ in Novella sunt præscripta, fuerint observata; Tunc autem, si non omnia præscripta sunt observata, testamentum rescindatur, (per Nov.) id est, querela inofficiosi evertatur, (§. VI. VII. VIII.) etiam ex mente Justiniani expressa querela inofficiosi instituit, qui ex iusta quidem causa est exheredatus, ea autem in testamento nominatim non adjecta:

§. XI.

¶ *l. 1. §. 2. de his, qua in testament. delectur. induc. vel inscrib.*

§. XI.

Sed cum Vir Perillustris Dn. SAM. de COCCEJI (a) ad defendendam communem suam, nostræ contrariam, sententiam plures attulerit rationes, quæ suo pondere constare videri possent, restat, ut eas, in quantum valeant, examinando ea, qua fieri potest, brevitate, adhuc removeamus. Et I) quidem causa, quæ adest justa, non expressa, ideo testamentum ipso jure nullum esse, neque per querelam rescindendum dicit, quia, qui querela agit inofficiosi, semper intendit causam adjectam falsam esse, causa autem non expressa, actor causæ falsitatem non arguit, sed tantum causam in testamento non fuisse expressam. Verum & prius falsum est, sc. quod is, qui querela agit inofficiosi, semper intendat causam adjectam falsam esse, quippe cum non saltem, si liberi non probabuntur ingrati, sive, quod idem, si causa est falsa, sed etiam si reliqua in Novella CXV. exheredationi præscripta non fuerint observata esse inofficiosum, & hinc querela inofficiosi rescindendum probaverim, (§. X. VI.) & posterius falsum, nimirum, quod causa non expressa actor causæ falsitatem non arguat, sed tantum causam in testamento non fuisse expressam, per demonstrata superius. (§. IX.) II) Causa non expressa, inquit, obtinet actor, etsi dignus exheredatione sit, adeoque etsi testator non fecerit contra officium pietatis: Atqui per querelam nunquam obtinebit actor, si dignus exheredatione sit, nec contra officium pietatis fecerit: Ergo causa non expressa non agitur querela testamenti inofficiosi. Ast petunt Doctores hoc argumento id, quod est in principio, & ex falsa hypothese assumta hic concludunt. Probavi siquidem, partim falsum esse, per querelam

Removen-
tur argu-
menta, pro
stabilien-
da contra-
ria senten-
tia adduci
solita.

C 2

relam

(a) SAM. de COCCEJI Jus Controv. ad Tit. de Inofficis. Testamentis. Quest. 7.

relam inofficiosi non obtinere actorem, si sit dignus exheredatione, (§. X.) partim in sensu & effectu juridico idem esse, an quis ex nulla causa sit exheredatus, an vero causa factæ exheredationis quidem adfit, quæ tamen in testamento non expressa. (§. IX.) Cum autem, casu priori querelæ inofficiosi locum esse, iterum sit demonstratum (§. V. VI. VII. VIII.) idem quoque de casu posteriori asserendum erit. Afferit quidem ulterius, III) causam exprimere vel non exprimere, non pertinere ad essentiam & qualitatem exheredationis, sed ad ejus modum: querelam autem non dari ratione modi, sed ratione ipsius essentiæ: nec non IV) querelam tantum competere propter impietatem, sed ommissionem expressiõis causæ exheredationis non concernere officium pietatis vel impietatem. Ast cum eandem hic Doctores rursus committant petitionem principii, iisdem responsionibus, quæ ad primum & secundum argumentum sunt prolata, elidendam, transio ad V) argumentum, vi cuius ea propter testamentum ob non expressam exheredationis causam nullum pronunciat, quia, filiosfamilias a patre præterito, testamentum est ipso jure nullum, causa vero non expressa filium familias esse præteritum putat. Ast cum exhereditio in expressa exclusione ab hereditate, verbo exheredare, vel simili facta, consistat: præteritio e contra sit exclusio ab hereditate tacite, non exheredationis expresse facta mentione, declarata, (b) facile patet, quod ceteris paribus exhereditio sit, quamvis causa exheredationis non sit adjecta, hujusque omissio non mutet eam in præteritionem, & quod consequenter a juribus filii a patre præteriti ad filium expresse, verbo exheredare vel simili ab hereditate exclusum, tanquam a præteritione ad exheredationem

(b) §. 1. & 2. *J. de Exheredatione liberorum.*

tionem, & sic a diversis ad diversa non valeat consequentia. Ultimum denique quod concernit argumentum, dum, VI) uti olim nominatim facta exheredatio fuit de solennitate absoluta & de forma testamenti, adeo, ut, si inter cæteros ea fieret, ipso jure nullum esset testamentum; ita pariter post Novellam CXV, non inserta nominatim causa, testamentum ob defectum hujus solennitatis & formæ lege præscriptæ ipso jure nullum esse, arbitratur, nullum in eo argumento mihi deprehendere licet concludendi nexum.

§. XII.

Secundum dispositionem Novellæ CXV. causam exheredationis non generaliter, sed in specie esse exprimendam ipsius ipsa inspectio docet, quippe cum c. III. dicatur: *Sancimus igitur non licere penitus patri vel matri, aut avo vel avie, proavo vel proavie suum filium vel filiam vel cæteros liberos præterire aut exheredes in testamento suo facere, nisi forsitan probabuntur ingrati, & ipsas NOMINATIM ingravitudinis causas parentes suo inseruerint testamento, & c. IV. Sancimus itaque non licere liberis parentes suos præterire, nisi causas, quas enumeravimus, in suis testamentis SPECIALITER NOMINAVERINT.* Quod si autem testator ea, quæ exheredationi faciendæ in Novella CXV. sunt præscripta, non observaverit, testamentum rescinditur; (§. X. & Nov. CXV. c. 3. & 4. in fin.) quod significat, contra tale testamentum inofficiosi querelam locum habere. (§. VI.) Datur igitur querela inofficiosi, si causæ exheredationis in specie non sit facta mentio, sed saltem generaliter dictum: *Er schliesse seinen ältesten Sohn Cajum, als ein ungehorsames Kind, welches sich sehr gräßlich vergangen, wegen solcher seiner bösen That und ihm dadurch verursachten Hertzweids, von seiner*

Error III.
querelam
nullitatis,
non inoffi-
ciosi, locum
habere, si
causa justa
generaliter
testamento
sit adjecta.

seiner Erbschafft völli g aus, und wolke nicht, daß er zu derselben solle gelassen werden, etsi heres specialem ingrati- tudinis causam & possit & velit probare; (§. IX.) fremente licet Doctorum cohorte, qui nullum hoc casu esse testamen- tum & hinc nullitatis querelam esse instituendam opi- nantur. (c)

§. XIII.

Error IV. querela te- stamenti in- offic. opus non esse li- beris exhe- redatis qui- dem, sed non ex justa causa in Nov. CXV. expressa.

Querela testamenti inofficiosi consistit in allegatione exclusionis ab hereditate contra officium pietatis factæ, & quare excludi ab eadem non debuerit. (§. IV.) Qui vero de eo in iudicio conqueritur, quod propter ingrati- tudinem quidem aliquam, in Novella CXV. autem pro tali, quæ ex- heredationem meretur, non agnitam, fuerit exheredatus, se nihil commisisse, quod exheredatione dignum, dicit, & sic, quare exheredari non debuerit, allegat. (§. IV.) Nullum igitur est dubium, exheredato propter ingrati- tudinem, in Novella non approbatam, competere querelam testamenti inofficiosi, consentiente iterum nobiscum Imperatore Ju- stiniano in Nov. CXV. c. III. & IV. quo loco scilicet, præ- missa dispositione, *ut nulli liceat ex alia lege ingrati- tudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continen- tur, hoc in fine additur: Sive igitur omnes memoratas ingra- titudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet paren- tes in testamento suo inseruerint, & scripti heredes nominatam vel nominatas causas vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus. SI AUTEM HÆC OMNIA NON FUERINT OBSERVATA - - -*

rescissio

(c) JOH. BRVNNEMANNVS *Cent. IV. Dec. 44.* JOACH. HOPPIVS *Comment. ad Instit. §. 5. Tit. de Exhered. liber.* JVST. HENN. BÖHMER. *in Fur. Dig. tit. de inoffic. testam. §. 12.* JOH. JOACH. SCHOEPFFE- RYS *in Syn. Fur. priv. tit. cit. n. 6.*

rescisso testamento, eis qui ab intestato, ad hereditatem defuncti vocantur, res ejus dari sancimus. Ex quibus, nisi me omnia fallunt, luce meridiana clarius apparet, hanc esse Justiniani mentem, ut exheredatio fiat ex causa aliqua ibidem recensita, & si nihilominus ex causa ibidem non memorata quis fuerit exheredatus, testamentum debeat esse rescissum. Quod vero cum significet, testamentum querelæ inofficiosi esse obnoxium (§. VI.) sequitur querelam inofficiosi locum habere, si exheredatio sit facta propter ingratitude- nem, sed non talem, quæ ex numero est earum, quæ recensentur in Novella CXV. Præsertim cum secundum Jus Romanum Antejustinianum testamentum, in quo quis nulla plane ex causa erat exheredatus, valorem suum retineret, nisi inofficiosi judicio experiri vellet is, qui tali ratione ab hereditate erat exclusus, (§. VIII.) & sic multo minus illi qui ex causa aliqua, utut tali, quæ exheredationem operari non poterat, erat exheredatus, competeret nullitatis que- rela, sed eum oporteret inofficiosi judicio experiri. (d) Mu- tatio autem non præsumitur, sed est probanda, imprimis in corpore Juris nostri Justiniani evidentissime. (§. VIII.) Sed quænam tamen fuerunt rationes, quæ JOH. HENR. BERGERUM, SAM. STRYCKIUM, JUST. HENN. BÖH- MERUM, JOH. GOTTL. HEINECCIUM, JO. GERARD. SCHLITTIUM, JAC. FRID. LUDOVICI, SIG. CHRIST. JESTERUM, SIM. PET. GASSERUM, ceterosque omnes, quorum opuscula mihi inspicere licuit, (e) viros eruditissi- mos

(d) §. 1. & 2. *J. de Exhered. liberor.* L. 3. §. 5. §. 1. ff. de inoff. Testament.

(e) JO. HENR. BERGER in *Oecon. jur.* L. II. Tit. 4. §. 14. not. 2. SAM. STRYCK in *Uf. Mod. ff.* §. 2. tit. de inoffic. testam. JUST. HENN. BÖH- MER in *Jur. Dig. tit. cit.* §. 12. JO. GOTTL. HEINECCIUS in *Elem. jur. civil. ad ordin. Instit.* §. 582. JO. GERARD SCHLITTE de eo quod

mos moverunt, ut nihilominus testamentum dixerint nullum, atque nullitatis querelæ hoc casu locum dederint, missa in exilium inofficiosi querela? Eadem, quæ eos, ut errores in §§. V. & IX. relatos erraverint, impulerunt, quasque in §§. VII. VIII. XI. recensitas deprehendes, quibus vero ibidem jam refutatis, ulterius eidem rei inhærere supervacaneum duco.

§. XIV.

Error V.
querelam
testamenti
inoffic. lo-
cum non
habere, si
causa qui-
dem iusta in
testamento
expressa, sed
ea ab herede
scripto pro-
bari nequit.

Si testator personam, cui debetur legitima, exheredat ex causa aliqua in Nov. CXV. recensita, eamque in testamento exprimat, quæ tamen ab herede non probatur: aut vere illa causa falsa est, aut saltem ab herede probari non potest. Non solum igitur casu priori re ipsa testator eam exheredat personam, quæ nullam commisit ingratitude, sed casu etiam posteriori, utpote cum non esse & non apparere in jure nostro paria judicentur. (f) Testamentum autem, in quo personæ, quibus debetur legitima, quæque nullam ingratitude commiserunt, sunt exheredata, contra officium pietatis factum dicitur, atque sic est inofficiosum, & consequenter operatur querelam inofficiosi. (§. IV.) Quodsi igitur testator aliquem exheredavit ex causa iusta quidem, falsa tamen, quamque heres scriptus probare non potest, querelæ datur inofficiosi locus. Et neque hic nos destituit Novella, utpote cum, imposito heredi causam ingratitude probandi onere, etiam, si hoc non fuerit observatum, testamentum esse rescindendum, id est, inofficiosi querela evertendum, (§. VI.) pronunciet. Quamvis enim

*just. est circa ingratitude c. 2. §. 27. JAC. FRID. LVDOVICI Doctr.
ff. tit. de Inoffic. testament. §. 10. SIM. PETR. GASSER. d. l. §. 24. SIG.
CHRIST. JESTER d. l. §. 9.
(f) L. 77. ff. de Contrahend. Emtion.*

enim me non fugiat, communem hanc esse Doctorum opinionem, & hinc vitio mihi hoc esse vertendum videatur, quod inter errores Doctorum hanc collocaverim thesin: adfunt tamen SAM. STRYCKIUS, PHILIP. RICH. SCHRÖDERUS, CHRIST. THOMASIUS, DAV. STAVINSKI, SIGISM. CHRIST. JESTER, (g) qui ex eadem ratione, qua reliqui in casibus hætenus recensitis querelæ nullitatis locum dederunt, etiam hic illam, non inofficiosi actionem, esse instituendam statuunt, ita rationes subducendo: De Jure novo omnis exhereditatio, in qua forma Novellæ CXV. præscripta, non fuit observata, est nulla, operaturque nullitatis querelam. Jam vero probationem ab herede suscipiendam exhereditationi faciendæ præscripsit Imperator, ergo si scripti heredes nominatam causam non monstraverint veram, testamentum est inofficiosum, & querela obtinet testamenti inofficiosi. Et certe, si id, quod res est, fateri licet, omnino hoc sua constat veritate, quod, si in reliquis casibus Novellæ dispositio sit intelligenda de nullitatis querela, idem quoque de hoc casu affirmandum videatur. Qua enim, quaeso, ratione in una eademque periodo unum idemque vocabulum rescissi simul & querelam nullitatis & inofficiosi, quæ tamen sunt contraria, indicare & intuitu casus deficientis probationis exhereditatum crimen exhereditatione dignum commisisse, iudicium inofficiosi, intuitu defectus reliquorum exhereditationi faciendæ in eadem Novella præscriptorum autem nullitatis actionem significare potest? At cum ego in hac mea Dissertatione, non falsam

D

solum

(g) SAM. STRYCKIUS *de Act. in for. investig. Sect. II. Membr. 3. §. 19. seq.*
PHIL. RICH. SCHRÖDER. *in Orig. præcip. mater. jur. Civ. Obs. 41.*
§. ult. CHRIST. THOMASIUS *in not. ad hist. & ff. tit. de Inoffic. te-*
stament. DAV. STAVINSKI *de Exhereditat. juris Pruten. §. 58.* SIGISM.
CHRIST. JESTER. *d. l. §. 12.*

solum esse majorem propositionem, sc. nullitatis querelam competere, quoties præscripta Novellæ CXV. non fuerunt observata, sed etiam ex mente ipsius Novellæ tunc potius querela inofficiosi testamentum esse rescindendum, demonstraverim (§. VI. & X.) meos illa argumentandi ratio circulos plane non turbat, sed hoc quoque casu per demonstrata obtinebit querela testamenti inofficiosi.

§. XV.

Error VI.
posthumo
exheredato
testamen-
tum nullum
esse, refelli-
tur.

Ex quibus prono jam fuit alveo, eandem incurrere reprehensionem, qui postumum exheredari posse negant, & consequenter eidem exheredato querelam nullitatis tribuunt, eapropter, quod postumi non sint subjecta habilia, ut loqui amant, quæ justam exheredationis causam recipere possunt. (h) Taceo enim, quod postumus eo ipso, dum nulla in eum exheredationis causa cadere queat, contra officium pietatis exclusus dicatur, & ipse de eo conquerens alleget, quare exheredari non debuerit, quo casu testamentum audit inofficiosum & inofficiosi testamenti querela obtinet. (§. IV.) Præterea quoque, si quis exheredatus ex causa vel nulla, vel injusta, vel falsa, rite tamen, testamentum non est nullum, sed rescinditur saltem per querelam testamenti inofficiosi. (§. V. VI. XIII. XIV.) Postumus vero, quando est exheredatus, non potest non esse exheredatus vel ex nulla causa, vel ex injusta, vel falsa. Postumus igitur

(h) Errant vero hunc errorem SAM. de COCCEJI in *Jur. Controv. tit. de Inoffic. testam. Quest. 14.* JAC. FRID. LVDOVICI in *Doctr. ff. tit. de Injust. rupt. irrit. fact. testam. §. 3.* GEORG AD. STRUV. in *Synr. Jur. Civ. tit. de liber. & postum. hered. instit. vel exhered. §. 35.* JOH. GOTTL. HEINECCIUS in *Element. Jur. Civil. ad ord. Inst. §. 583.* GOTTL. GERH. TITIVS in *jur. priv. Rom. Germ. L. VII. c. 14. §. 6. & alii.*

tur rite exheredatus, eapropter, quod nihil exheredatione dignum commiserit, aut committere potuerit, instituit querelam inofficiosi, non nullitatis. Quamvis enim JUSTINIANUS crudele satis esse, eum, qui non sentit, ingratum existimari, decreverit, (i) duæ tamen sunt separandæ quæstiones. Aliud sc. est, an postumus hoc effectu exheredari possit, ut nullo modo ipsi ad hereditatem aspirare liceat? Quod nego, atque de eo accipiendum esse Justinianum nullus dubito. Alia vero iterum est quæstio, an testamentum propterea nullum sit, an vero subsistat & saltem per querelam inofficiosi rescindatur? quod posterius affirmo, quippe, cum hoc nusquam in lege cit. negetur, sed id unum saltem dicatur, eum vocari ingratum non posse. Et quid argumentationibus longe petitis opus? cum expressa legis sanctio adsit, & Justinianus ipse a nostris stet partibus in *L. 4. in fin. C. de liber. prat. vel exhered.* quæ, etiamsi quoque *L. cit. 33. C. de inoffic. testament.* adversus sententiam nostram interpretari posset, tamen est posterior, lata sc. Anno DXXXI. cum lex XXXIII. jam Anno DXXXIX. extiterit; priorem vero legem tolli a posteriore certissimi juris est.

§. XVI.

Sed quid si exheredatus post admissam ingratitude[m] exheredanti est reconciliatus? Esse ingratitude[m] offensivamque causam, quæ producit exheredationem, res ipsa loquitur. Cessante vero causâ, cessat effectus. Cessante igitur ingratitude offensivæque cessat exhereditio. Jam vero est reconciliatio actus, quo remissa offensio in gratiam redit offensus cum offendente, (k) consequenter, quo

D 2

fit,

(i) *L. 33. C. de Inoffic. testament.*(k) *§. fin. I. de injur. L. 17. §. 6. ff. d. t. L. 17. §. 1. ff. de pat. L. 3. §. fin. & L. 4. ff. de Adm. vel transfer. legat.*

Error VII.
non inoffi-
ciosi iudicio,
sed nullita-
tis querela
exheredato
esse experi-
undum, qui
exheredanti
post admis-
sam ingratu-
tudinem fuit
reconcilia-
tus.

fit, ut cesset offensio. Quapropter, si patrem filius placavit, exhereditatio effectum fortiri nequit. Quodsi igitur nihilominus exhereditatio facta appareat, re vera causâ exhereditationis est falsa. Quo casu cum detur querela testamenti inofficiosi, sequitur, iudicio inofficiosi exhereditato experiendum esse, qui exheredanti post admissam ingratitude fuit reconciliatus. Quæ argumentatio cum non solum procedat, si ante testamentum conditum exhereditatio exheredanti reconcilietur, sed etiam si exheredationem in testamento jam factam reditus in gratiam sequitur, utroque casu, exheredatione facta, querela inofficiosi competit; dissentiente licet magna Doctorum turba, quorum nonnulli neutro casu querelæ inofficiosi dant locum, (l) alii quoad casum posteriorem hoc negant & exheredationem factam non infirmari contendunt, (m) moti præsertim auctoritate PAPINIANI ita edifferentis: *Filio, quem pater post emancipationem a se factam iterum adrogavit exheredationem antea scriptam nocere dixi, nam in omni fere jure sic observari convenit, ut veri patris adoptivus filius nunquam intelligatur, ne imagine naturæ veritas adumbretur, videlicet, quod non translatus, sed redditus videretur, (n) ubi tamen partim hoc saltem dicitur, quod testamentum, in quo filius emancipatus est exhereditatus, facta ejus ab eodem patre arrogatione, non rumpatur, sicuti alias agnatione posthumi & arrogatione alius homi-*

(l) JESTER. *d. l. §. 19.*(m) COVARRUVIAS *ad C. Raynurius X. de Testament. n. 17.* JAC. MENOCHIVS *L. IV. Præsumt. 30. n. 8.* PHIL. PASCHALIS *de Vir. Patr. porest. P. II. c. 5. n. 98.* SAM. STRYCK *de cas. circa legitim. controvers. cas. 8.*(n) *L. 23. ff. de liber. & postum.*

hominis fieri solet, (o) nullatenus vero querela Inofficiosi testamenti negatur: partim hæc dispositio specialem suam habet rationem in statu filii naturalis a patre arrogati, id quod indicant verba illa: *nam in omni fere jure sic observari convenit, ut veri patris adoptivus filius nunquam intelligatur, ne imagine nature veritas adumbretur*; unde ad reconciliationem filii cum patre nulla valet argumentatio.

§. XVII.

Verum quid interest, forsân putabis, utrum querelam nullitatis, an vero inofficiosi competere statuamus? Multis sane utrumque remedium inter se differt modis, insignesque ex ejusdem differentiis in jure oriuntur effectus ad fori usum spectantes, adeo ut magnus olim SAM. STRYCKIUS (p) disputationem de testamento, utrum per querelam nullitatis vel inofficiosi impugnari debeat? inter utilissimas posuerit & inclytus Jctus Göttingensis TOB. JAC. REINHARTH (q) singulari easdem dissertatione recensere operæ pretium duxerit, ad quem licet copiosius eas differentias investigantem remittam, non possum tamen non, quin easdem hic enumerem, cum, quo antecedentes observationes perlegenti statim utilitas hujus tractationis in oculos incurrat, tum, quia pace Viri celeberrimi non omnes differentiarum, vulgo pro talibus venditari solitarum, tales revera sunt. Sic enim hoc quidem extra omnem dubitationis aleam est positum, quod, qui nullitatis querela testamentum impugnat, vitium nullitatis allegatum tanquam

Error VIII.
querelam
inofficiosi
esse oneris
probandi
translati-
vam.

D 3

fun-

(o) JO. GERH. SCHLITT *de eo quod justum est circa ingratitude. c. 3. §. 2.*
SAM. FRID. WILLENBERG *de Exhered. exheredanti reconcil. §. 14. 15.*

(p) SAM. STRYCKII *Interesse Controv. in For. C. 9. §. 4.*

(q) TOB. JAC. REINHARTH *de Querel. nullit. & inoffic. Testam. different.*

fundamentum suæ actionis, herede scripto litem negative contestante, probare teneatur. In eo vero inofficiosi querelam differre ab actione nullitatis nego ac pernego. Quamvis enim eo casu, si quis ex causa justa, expressè in testamento adjecta, sit exheredatus, hicque inofficiosi moveat querelam, eapropter, quod falsa sit causa, non actor, sed heres scriptus vi Novellæ CXV. probare teneatur veritatem elogii, & eatenus in hoc casu speciali differat querela inofficiosi instituta ab actione nullitatis, tamen, si quis exinde utrumque remedium differre ratione probationis simpliciter inferre vellet, eandem non immerito incurreret reprehensionem, quam incurrit is, qui a singulari argumentatur ad universale. Datur scilicet præterea querela testamenti inofficiosi, si personæ, quibus debetur legitima, in testamento exheredata, non adjecta causa, quæ non adest: (§. V. VI.) vel quæ adest quidem, sed non in testamento ejus facta mentione: (§. IX. X.) vel facta etiam ejus mentione, sed non in specie: (§. XII.) aut facta quoque ejus mentione in specie, quæ tamen non est ex numero earum, quæ sunt in Nov. CXV. expressæ: (§. XIII.) vel denique, si quis ex justa causa, expressè in testamento adjecta, sit exheredatus, hic autem exheredanti reconciliatur, (§. XVI.) &c. Ubinam vero leges hisce in casibus exceptionem fecerunt a regula, quod quilibet fundamentum suæ intentionis in iudicium deductæ probare debeat? sive, quod idem, ubinam habetur, quod iis in casibus querela inofficiosi onus probandi transferat in heredem scriptum?

§. XVIII.

Recensentur
differentiæ
inter quere-

Potiori interim jure huc referri potest I) quod si quid ipso jure nullum, annullatio non æque a privati demum arbitrio

bitrio dependeat, ac eo casu, quando quid ipso jure valet, sed suppeditato remedio querelæ vel alio rescinditur, quippe, quo casu liberum illi est, cui remedium rescindendi competit, velit uti illo remedio vel non, hoc effectu, ut ex illa facultate utendi remedio jus tertio non nascatur. (r)

II) Nullitatis querela omnes ab intestato successuri, etsi iis non debeat legitima, experiri possunt. Querela inofficiosi autem iis solis, quibus debetur legitima, competit. (s)

III) Querela nullitatis intra triginta annorum spatium intentari potest, (t) at inofficiosi querela durat saltem per quinquennium ab adita hereditate computandum. (u) IV) Intentata querela nullitatis & obtenta causæ victoria, totum cum omnibus legatis ceterisque capitibus corrumpit testamentum. (w) Evacuato autem per querelam inofficiosi testamento, heredis quidem institutio rescinditur, sed legata aliaque capitula salva manent juxta novam JUSTINIANI constitutionem. (x) V) Nullitatis querela etiam non præparata ad omnes transmittitur heredes, (y) quod secus in querela inofficiosi, quæ, exheredato ante præparatam querelam mortuo, ejus heredibus non datur, (z) præterquam quod filius interea, dum heres scriptus deliberat, mortuus, etiam non præparatam hæc querelam ad liberos suos, qui sunt exheredantis nepotes, transmittit. (a) Quanquam enim

lam null. &
J. T. notato
simul errore
IX no, quere-
lam J. T. et-
iam non
præpara-
tam trans-
mitti ad
omnes de-
scendentes.

(r) JO. GODOFR. HARTVNG de eo quod mutat. Nov. CXV. circa exheredat. § II.

(s) L. 14 § 15. ff. L. 27. C. de Inoff. Testam.

(t) L. 3 § 7. C. de Prescript. 30. vel 40. ann.

(u) L. 8. §. 10. § fin. ff. § L. 36 §. 2. C. de Inoff. Testam.

(w) ULR. HVBERI Prælect. ad Instit. L. II. Tit. 13. §. 2.

(x) Novella CXV. c. 3. § ult. § c. 4. § ult.

(y) STRYCKII Us. Mod. ff. Tit. de Inoff. Testam. §. II.

(z) L. 6. §. fin. ff. L. 5. C. de Inoff. Test.

(a) L. 34. C. cit. Tit.

enim Doctores jus illud exheredati descendentes in genere tribuere soleant, (b) ratio tamen adjecta specialis, quæ Justinianum ad hanc faciendam dispositionem commovit, nimirum, *quia omnes subjectos nostros & filios & nepotes habere existimamus affectione paterna & imitatione*, non minus, ac ipsa legis verba illam transmittendi querelam non præparatam ad suos descendentes facultatem neque ad parentes a liberis suis exheredatos, neque ad fratres a fratribus exheredatos, eorumque liberos esse extendendam, suadent.

§. XIX.

Error X. eum qui inofficiosi querela experitur, sed succumbit, amittit emolumenta in testamento ipsi relicta.

Jure Romano equidem alia adhuc aderat differentia, nimirum quod, cum qui nullitatis remedio testamentum impugnat, etiam si in causa ab herede scripto fuerit victus, legata in eo sibi relicta tamen non amittat: (e) e contra, qui querela inofficiosi sponte agit & succumbit, omnibus emolumentis, quæ ex illo testamento ex quocunque capite sperare potuisset, cadat, eaque fisco, quasi indigno ablata, cedant, (d) & hoc quidem ex ea ratione, quia tunc temporis querela inofficiosi agentem oportebat, propter deficientem legem, quæ ipsi assisteret, præcisè & semper in libello fundamentum suæ intentionis, secus ac instituta querela nullitatis, in eo collocare, quasi testator tempore conditi testamenti demens & non sanæ mentis fuisset; hoc vero magnopere in testatoris injuriam tendere videbatur. (e) At enim vero cum, postea quam Imperator in Novellis legibus eam

(b) JAC. FRID. LVDOVICI *Doctr. ff. cit. Tit. §. 12. in fin.* JOACH. HOPPIVS *in Comm. ad Inst. §. 4. Fali.*

(c) *L. 5. pr. §. 1. & L. 24. ff. de His quib. ut indign.*

(d) *L. 3. §. 14. ff. de Inoff. Testam. L. 13. §. 9. ff. de Jure Fisci.*

(e) *§. 1. Inst. de Testam. inoff. L. 5. ff. de inoffic. testamento BYNCKERS-HOECK L. II. Obs. 12. REINHARTH d. l. §. 15.*

eam inofficiosi querelam directo instituendam stabiliverit, eo hodie colore, adfistente actoribus ipsa lege, opus non fit, neque adeo in libellis dementiae accusetur defunctus, (f) nihil tam naturale est, quam ut etiam effectus, scilicet ut amittat legata querelam inofficiosi instituens, hodie cesset. Sed quis est, qui nescit, ARN. VINNIUM, SAM. de COCCEJI, HIER. TREUTLERUM, JOH. OLDENDORPIUM, ULR. HUBERUM, SAM. STRYCKIUM, (g) & alios nihilominus malle cortici verborum inharere, & cum lege loquentes cœcutire, quam ex ratione easdem interpretari? Nonne autem hoc est contra PAULI (h) doctrinam Jus Civile calumniari & verba captare? Annon hi produnt, quod verba legum teneant, non vim earum & potestatem?

§. XX.

Inofficiosi querelam intra quinquennium ab adita hereditate computandum præcise instituendam esse, & eo elapso, nisi magna causa actorem impederit, penitus exspirare, inter omnes constat. (§. XVIII.) A quo tamen JUST. HENN. BÖHMERUS, JOH. HENR. BERGERUS, JAC. FRID. LUDOVICI, WOLFG. AD. LAUTERBACH, HIL- LIGER ad DONELLUM, JO. SCHILTERUS, JO. BRUN- NEMANNUS, REINH. BACHOVIVS ad TREUTLERUM, JOH. JOACH. SCHOEPFFERUS, SAM. de COCCEJI, E
GOTTL.

Error XI.
Actionem
suppletori-
am expira-
re demum
post 30. an-
nos.

(f) BÖHMER de Act. Sect. II. C. 3. §. 37. SCHACHERI Colleg. Pract. Tit. de Inoffic. Test. p. 84.

(g) VINNIUS in Comment. ad Inst. L. II. Tit. 18. pr. COCCEJI d. l. qu. 24. TREUTLER Proc. judic. p. 72. OLDENDORPIVS Class. 5. Act. 2. §. 3. HUBERI Prælect. ad ff. L. V. Tit. 2. §. 4. STRYCKII Us. Mod. ff. L. 34. Tit. 9. §. 3.

(h) L. 19. ff. ad Exhib.

GOTTL. GERHARDTITIVS, (i) & alii legum nostrarum interpretes excipiunt casum, si liberi quidem non exheredati, sed instituti, simul tamen læsi sunt in legitima, ubi querelam sive actionem ad supplementum legitimæ tendentem, quamque inde expletoriam vel suppletoriam dicere solent, per triginta annos durare fidenter asseverare nulli dubitant, sed me quidem iudice, invita & analogia juris & ipsa legum dispositione. Non enim est solum hæc surrogatorum in doles, ut sapiant regulariter naturam ejus, in cujus locum surrogantur, & hinc actio suppletoria, veluti querelæ inofficiosi vicaria, hujus etiam in eo sectari debet naturam, ut instar querelæ inofficiosi lapsu quinquennii exspiret, sed ipse etiam Imperator noster Justinianus his legis verbis: (k) *nisi certa quantitas patri ejus minor parte legitima relicta est, tunc etenim secundum Novellam nostri numinis constitutionem repletio quarta partis nepoti superest, si qua patri ejus competebat, ut perfruatur nostro beneficio a vetustate quidem neglectus, a nostro autem vigore recreatus, nisi pater adhuc superstes vel repudiavit querelam, VEL QUINQUENNIO TACUIT, scilicet post aditam hereditatem, luce meridiana clarius, ni fallor, disposuit, actionem ad supplementum legitimæ tendentem lapsu quinquennii a tempore aditæ hereditatis computandi exspirare, adeo ut ipsarum legum autoritate nixus plura addere frustra sit, hoc saltem*

mo-

(i) Dn. BÖHMERS in *Jur. Digest. tit. de inoff. Testam. §. II. J. H. BERGERS in Dec. Jur. L. 2. tit. 4. §. 55. not. 4. J. F. LVDOVICI d. l. §. 14. WOLFG. AD. LAVTERBACH d. T. n. f. HILLIGER ad DONELVUM L. XIX. C. 4. Lit. y. JO. BRVNNEM. ad L. 30. C. de inoff. Testam. n. 4. REINH. BACHOVIVS ad TREVTLER. cir. tit. th. 12. lit. e. JOH. JOACH. SCHOEPFER d. t. n. 66. SAM. de COCCEJI d. t. qu. ult. GOTTL. GERH. TITIVS d. l. §. 34.*

(k) L. 34. C. de inofficios. testament.

monendo, rationes illas, in quibus contra sentientes fundamentum suæ intentionis collocant, scilicet partim remedium suppletorium esse e numero actionum personalium, quæ triginta annos durant, partim idem illud non æque odiosum, ac quidem inofficiosi querelam, in regula esse verisimas, quæ tamen non raro, imo si brocardicis Jctorum fidendum, semper patitur suas exceptiones.

§. XXI.

Jure antiquo Romanorum per querelam inofficiosi totum concidisse testamentum cum heredum institutionibus & legatis tam notum est, quam quod notissimum. Neque itaque legata subsistere poterant, nisi & testamentum ipsum subsisteret, & subsistentibus e contra legatis, subsistebat etiam ipsum testamentum. Quam ob causam heres ab intestato, legatorum validitatem agnoscendo, non poterat non totius testamenti validitatem agnoscere. Si quis petit legatum in testamento inofficioso sibi relictum, eo ipso agnoscit ejus legati validitatem, quia alias, nisi hoc pro valido agnosceret, illud petere non potuisset. Quicumque igitur petit legatum sibi in testamento relictum, eo ipso ipsius testamenti agnoscit validitatem. Testamentum vero non potest simul subsistere & non subsistere. (per princ. contradict.) Nullum itaque est dubium, quin, cum instituta querela inofficiosi testamentum concidat, ille, qui, accipiendo legatum ex testamento, hujus validitatem semel agnovit, querelam inofficiosi perdat. (l) Verum enim vero cum hodie, postquam JUSTINIANUS (m) heredis institutionem tantum rescindendam esse jufferit, salvis reliquis testamenti

Error XII.
hodie per
acceptatio-
nem legati
querelam
inoff. peri-
mi. Notatur
quoque Dn.
Leyseri
opinio.

E 2

capit-

(l) L. 8. §. 10. L. 10. §. 1. L. ult. ff. L. 8. §. 1. C. de Inoffic. testament.

(m) Novella CXV. c. 3. in fin. & c. 4. in fin.

capitulis legatisque, legatum hac ratione possit esse validum, invalido testamento; hodie etiam, qui petit legatum ex testamento inofficioso, non necessario agnoscit validitatem testamenti totius & quoad heredis institutionem. In quo autem cum olim consisteret causa, ex qua per acceptionem legati perimebatur querela inofficiosi, eo cessante, cessare etiam debet effectus; id est, potest aliquis hodie legatum petere, & nihilominus deinde querelam inofficiosi movere. Id quod etiam Vir Illustris Dn. AUGUST. de LEYSER (n) vidit, & huic idcirco sententiæ assensum suum præbuit. Ast quanquam communi in hac re opinioni, (o) exhereditatum, illud, quod sibi in tali testamento relictum, accipiendo, querelam inofficiosi adhuc hodie perdere, non consentiam, neque tamen sententiæ Viri Illustris Dn. LEYSERI simpliciter subscribere possum. Distinguendum scilicet esse puto, an tali interveniente facto quis accipiat legatum, quod non aliter interpretari possumus, quam legatarium validitatem testamenti agnoscere, an hoc ita non sit comparatum? Priori casu quod adhuc hodie perdat querelam inofficiosi testamenti, qui accipit legatum sibi relictum, nullus dubito, (per princip. contrad.) quoad casum posteriorem autem per acceptionem legati querelam inofficiosi hodie non exspirare, concedo. Unde jam consequitur, eum qui instituta actione ex testamento accipit legatum, adhuc hodie omnino perdere querelam inofficiosi, utpote cum illa supponat eum, contra quem instituitur, valide esse heredem, quemadmodum ipsa libelli formula indicat: *Ob nun voll Bekt. als Erbe den Willen des Testatoris zu erfüllen denen*
Rech-

(n) AUG. de LEYSER *Medit. ad ff. Spec. 93. Med. 7.*

(o) Sequuntur vero hunc errorem Doctores hactenus allegati cum reliquis loc. cit. quos semper nominare & repetere tædet.

Rechten nach schuldig, und ich dannhero, daß er sich die mir in solchen Testament vermachte 1000 Rthlr. auszuzahlen belieben lassen möchte, in aller Güte gesucht, so &c. & hinc exheredatus eam instituendo heredem agnoscat pro tali. Quod fecus, si actione hypothecaria, vel rei vindicatione agat, etiam contra ipsum heredem, cum hæ actiones non supponant, eum esse heredem, sed saltem eum esse possessorem, & hinc ex eo necessario non fluat, exheredatum has actiones instituendo illum pro herede agnovisse.

§. XXII.

Olim rescisso testamento per querelam inofficiosi, heredis institutio cum reliquis testamenti capitulis corruebat, (§. XXI.) quod tamen postea mutatum in Novella CXV. c. 3. & 4. quoad parentum & liberorum querelam, ubi testamentum his casibus quoad heredis institutionem tantum corruere debere sancitum legitimus. An vero hæc nova Justiniani dispositio ad querelam fratribus competentem non pertineat? id est, quod mihi dubium videtur. Plerique, etiam magni nominis Jcti, jus antiquum adhuc in fratribus observari, & sic expugnato ab illis testamento per querelam inofficiosi totum corruere testamentum existimant, (p) utpote cum eorum Justinianum non fecisse mentionem dicant, nihil vero obstare, quo minus ei, quod non est abrogatum, stemus. Ast cum ipsa naturalis ratio in

Error XIII.
expugnato
per fratrem
testamento
inofficioso
legata
etiam
concidere.

E 3

pro-

(p) In horum numero est JAC. FRID. LUDOVICI *l. c. §. 15.* JUST. HENN. BOHMER *de Act. Sect. II c. 3. §. 35.* JOH. HENR. BERGER *in Oeconom. Jur. L. II. tit. 4. §. 17. not. 12.* JO. JOACH. SCHOEPEFERUS *d. l. n. 30.* JOACH. HOPPIUS *l. c. WOLFG. AD. LAUTERBACH in Comp. Jur. tit. de Inoffic. testam. lit. E.* SAM. STRYCKIUS *in Us. Mod. d. t. §. 6. ibique alleg. Doctores.* Nostræ e contra sententiæ assensum præbente Dn. SAM. de COCCEJLI *c. quæst. 2.* & GEORG. AD. STRUVIUS *in Synt. Jur. Civil. Exerc. X. th. 22.*

propinquitate sanguinis fundata velit, ut, quo propinquior cognationis gradus, eo magis illi faveamus, & hinc liberi quoque & parentes majori gaudeant in successione favore, quam quidem fratres, veluti remotiores: Quam rationem sicuti alias JUSTINIANUS est secutus, uti ipse faterur, (q) ita quoque in specie in exheredatione determinanda eum hanc tenuisse viam, ex eo apparet, quod liberis & parentibus, qui nullam commiserunt ingratitude, semper legitima sit relinquenda, fratribus autem non aliter, quam si turpis persona ipsis in testamento prælata; Quid ergo æquius? quid menti Imperatoris magis conveniens? quam ut mutata quoad liberos & parentes juris antiqui dispositione, ut testamentum, olim omnino corruens, jam subsistere debeat quoad reliqua testamenti capita, excepta heredis institutione, idem quoque locum habeat quoad fratres querela inofficiosi agentes? quippe cum alias eo casu fratres testamentum inofficiosum dicentes, pari passu ambulaverint cum liberis & parentibus, & nunquam potiori jure gavisi fuerint. Pone: Instituta a fratribus querela inofficiosi corrumpere testamentum. Meliores sic essent conditionis quam liberi & parentes, quod vero cum contradicit veritati demonstrata, falsum hoc esse debet, expugnato per fratrem testamento inofficioso legata adhuc hodie concidere. Quamvis enim hujus mutationis nulla in legibus novis facta sit mentio, neque tamen hoc opus erat, cum, ut ait PEDIUS, *quoties lege aliquid unum vel alterum introductum, nos oporteat, cetera, que tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione vel certe jurisdictione supplere.* (r) Neque enim oportet Jus Civile calumniari, sed qua mente quid dicatur, animadvertere, ut loquitur

(q) NOVELLA CXVIII. præf.

(r) L. 13. ff. de LL.

loquitur PAULUS (s) utpote, cum non possit omnes articuli sigillatim aut LL. aut SCtis comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictione praest, ad similia procedere atque ita jus dicere debeat, secundum sententiam JULIANI (t) Est quidem, quod fateri me oportet, Novella CXV. lex correctoria, quales secundum tritum illud interpretari strictissime solemus. Ast cum hoc pertineat ad regulas eas, quæ sapissime officium suum perdunt, sicuti saltem locus ei conceditur, si de mente legislatoris, ceu FRANSKIUS & JOH. HENR. BERGERUS dudum docuerunt, non constat, (u) & vero de ea nemini, qua mente quid dicatur, animadvertenti hic dubium esse queat, eam satius est, quam communes canones sequi, quibus omnem interpretandi artem comprehendere vulgo, sed temere, credunt; quin, si quæ ejusmodi interpretandi regulis auctoritas in jure tribuenda, merito hic eam capiamus interpretationem, quæ affectioni Imperatoris ad personam est conveniens, (w) præsertim cum a majori ad minus hic concludere liceat, & haud dubie eapropter saltem hujus mutationis in fratrum querela mentio non sit facta, quia eam tanquam rarissimam, & ejus minima quæque non curavit Imperator, prout accidere solet his, quibus animus varietate rerum est distractus, secundum vulgatum illud:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

§. XXII.

(s) E. 19. ff. ad exhibend.

(t) L. 10. ff. de LL.

(u) L. 2. C. de Curator. furios. FRANTZKIUS tit. de LL. n. 7. CASP. HENR. HORN de Interpret. jurid. c. 3. JOH. HENR. BERGERI Elect. Discept. forens. tit. 39. obs. 9. p. 116.

(w) L. 50. pr. §. 1. 2. & 3. ff. de legat. 1. L. 9. ff. de Probat. L. 62. §. 1. ff. de hered. instit. L. 168. §. 1. ff. de R. L.

§. XXIII.

Recensentur
alii errores
remissive.

Communis quidem adhuc error est: Fratribus con-
fanguineis tantum, non uterinis, competere inofficiosi tes-
tamenti querelam: Fratres dein, querela inofficiosi testa-
menti instituta, probare debere se non fuisse ingratos: Vi-
ctoriam porro querelæ inofficiosi reliquis ab intestato suc-
cedentibus, ad querelam autem non admissis, non proficere.
Sed cum primum errorem jam egregie refutavit Illustr. Dn.
BÖHMERUS, (x) secundum docte explicuit MICH. HENR.
GRIEBNER, (y) tertium denique luci exposuit FERD.
AUG. HOMMEL, (z) & ancipites illæ quæstiones, an, si
liberi a patre, parentes a liberis, liberi a matre avove ma-
terno sint præteriti, testamentum hodie sit nullum, an vero
querela inofficiosi rescindendum? tam amplam desiderent
tractationem, ut singulari Dissertatione opus sit, vela con-
traho, & nonnullos saltem casus ex Jure Germanico, ut
rubro aliquo modo satisfiat, addo, cum omnibus, quos
examinare animus erat, operam navare festinatio reditus
in patriam mihi imperata prohibeat.

§. XXIV.

Error XIV.
Testamen-
tum esse
nullum, si
cognatis ab
intestato
succedenti-
bus jure
Lub. quanti-
tas der 8 sil.
4 pf. non re-
licta sit.

Officium illud pietatis, ut sui cuique cognati sint he-
redes, secundum dictærium Germanorum: *Wer wil woll und
seelig sterben, der lasse sein Guth den nechsten Erben*, quod Ro-
manis ad solos liberos, parentes & certo casu fratres restrin-
gere placuerat, Legislator Lubecensis e contra ad omnes
omnino nobis sanguine junctos pertinere voluit, constituen-
do:

- (x) IVST. HENN. BÖHMERUS *de Querela inoffic. fratr. consanguineor.*
(y) MICH. HENR. GRIEBNER. *utrum fratres instituta querela inoffic.
Testam. probare teneantur, se non fuisse ingratos?*
(z) FERD. AUG. HOMMEL. *de Victoria querela inoffic. tertio proficua.*

do: Wer da will sein wollgewonnen Guth vergeben, der muß zuvorn seinen nechsten Erben geben 8 fl. 4 pf. wenn er auch liegende Gründe und stehende Erbe mit seinen wollgewonnenen Guthe erkaufft hätte, die mag er auch vergeben, entweder vor Rath-Mannen, oder in seinen Testament. (a) Ex quibus nullo negotio conficitur, Jure Lubecensi quemlibet testatorem oportere cognatis ab intestato succedentibus de bonis acquisitis (b) relinquere 8 fl. 4 pf. Portio lege determinata necessario a testatore certis personis relinquenda dicitur legitima. (§. III.) Ergo quantitas octo solidorum & quatuor nummorum, heredibus ab intestato jure Lubecensi necessario relinquenda, est legitima. Testamentum in quo, rite confecto, legitima, personis quibus debetur, non est relicta audit inofficiosum (c) indeque oritur querela inofficiosi. (§. IV.) De Jure Lubecensi igitur, testamentum in quo heredibus ab intestato non sunt relicta 8 f. 4 pf. est inofficiosum, & consequenter operatur querelam inofficiosi. Id quod etiam exinde apparet, quod testamentum, quod non est ex officio pietatis factum, audit inofficiosum (§. IV.) Testamentum vero, ex quo heredes ab intestato nequidem 8 f. 4 pf. capiunt, est factum contra officium pietatis. (§. IV. & princ. §. XXIV.) Inofficiosum itaque est adeoque non potest non producere querelam inofficiosi.

§. XXV.

Verum enim vero, ni fallor, omnis me jam circumdat ^{Removetur} dissentientium turba, atque, an adeo rudibus institutus sim ^{dubium.}

F princi-

- (a) *JUS LUB. L. I. tit. IX. art. 2. Add. art. 2. tit. IV. L. I. & art. 12 tit. I. L. II.*
(b) Bona enim hereditaria plane sunt in numero rerum alienari prohibitarum & sic eatenus extra commercium *L. I. Tit. X. art. 6. Add. LUDOVICI de diverso jure bonorum acquiritorum & hereditiariorum LAUR. PETERSEN de alienat. bonor. hereditarior.*
(c) *DD. ad tit. Instis. & ff. de Inoffic. Testament.*

principiis, ut statuta ex jure communi esse interpretanda, & legitimam Juris Lubecensis ex Jure civili Romano explicandam, existimem? conclamat. Sed salva res est. Horreo communem opinionem, quod statuta stricte sint accipienda, & ita quidem, ne laedant jus commune. Damno brocardicum illud: statuta esse ex jure communi interpretanda; & tamen in subsidium jura legitimæ Lubecensis, cognatis ab intestato successuris necessario in testamento relinquenda, recte ex jure Romano esse decidenda puto. Continent nimirum statuta vel talia negotia, quæ sunt originis Germanicæ, vel alia, quæ ex ipso jure Romano desumpta sunt & transcripta in leges & statuta patriæ. Priori casu non tribuo Juri Romano vim eam atque potestatem; casu autem posteriori statuta ex principiis Juris Romani esse explicanda, deficientibus statutis, nullus dubito; & illud imprimis indigitare Ordinationem Judicii Imperialis aulici arbitror, ubi iudicibus præscriptum legimus: *Fedes Stands, Lands, Orts und Gerichts, sonderlich die gebührlich allegirte und prohibirte Privilegia, gute Ordnungen und Gewohnheiten, und in Mangel derselben die Kayserlichen Rechte vor Augen zu haben.* Jam vero materia testamentorum est argumentum, quod, autore TACITO, (d) juri veteri Germanorum incognitum, saltem ex Jure Romano est receptum, & inde in leges patrias migravit. (e) Quoties igitur de iis incidit quæstio in legibus patriis non diremta, ad jus Romanum est recurrendum, & ex hujus principiis, quid justum sit, dijudicandum; consequenter, an testamentum, in quo cognatis ab intestato succedentibus non relicta est legitima *der s. 31. 4 pf.*, sit inofficiosum, an vero nullum? ex principiis Juris Romani est æstimandum, tacente Jure Lubecensi.

§. XXVI.

Et habet querela inofficiosi eo casu locum, si hæredes sunt præteriti, si hæredati,

Quamvis interea plurimi DD. velint, ut liberis expresse exhereditatis saltem competat inofficiosi querela in casibus supra relatis; non vero si sint præteriti, in eo tamen certe omnes conveniunt, ratione legitimæ collateralium, puto fratribus & sororibus debita, & olim & hodie unum esse idemque, num sint præteriti, an vero expresse exclusi? Quam ob causam cum mihi sermo sit de legitima Jure Lubecensi cognatis heredibus ab intestato collateralibus debita, idem quoque de eadem asserere me oportet, utroque scilicet casu, si hæredes ab intestato præteritione si hæredatione ab hac legitima sunt exclusi, querelam inofficiosi ipsis competere. Licet enim III. BÖHMEN, RUS,

(d) TACITUS *de Mor. German. C. XX.*

(e) *vid. III. HEINECCIUS in Diss. de Testamentifact. Jure Germ. arct. limit. passim circumscripta & III. JO. AD. KOPP de Testam. German. judicialibus: Ungehabt und ungefabr.*

RULS, Vir, quem nunquam sine insigni animi cultu nomino, ea ducatur opinione, (f) quod neque liberi a patre, bonis hereditariis destituito, in 8 solidis & 4 nummis tantum instituti amplius quid & ne legitimam Romanorum quidem prætere valeant, sed quod legitima *der 8 söl. 4 pf.* etiam sit descendentium, mihi tamen res illa non adeo expedita videtur. Ut enim alio argumentandi genere jam non utar, in art. II. Tit. VI. L. I. Jur. Lub. ex quo posteriores, generaliter loquentes, secundum regulas interpretationis sunt explicandi, habetur, quod conjuges, si nulli ex eo matrimonio liberi adsint, valide in se invicem bona sua transferre possint, si modo heredibus ab intestato succedentibus relinquuntur 8 söl. 4 pf. Unde sequitur, hanc de libera facultate disponendi de rebus suis sanctionem, si modo proximis heredibus relinquuntur 8 söl. 4 pf. non pertinere ad casum, ubi liberi adsint, & a contrario magis sensu esse inferendum, idem illud parentibus non licere, si liberi adsint quemadmodum etiam expressis verbis illud declarat articulus proxime præcedens. Neque obstat, quod testamenti nulla fiat mentio, quippe cum ibidem agatur de donatione bonorum vel pacto successorio, quæ olim erant loco testamentorum. Quapropter, ubi hodie in ejus locum successerunt testamenta, frequentius adhiberi solita, eodem hæc jure æstimari debent, præsertim cum nulla adsit diversitatis, sed eadem ubique ratio, et, si, quod Mevius probat, ex jure Hamburgensi, (ff) Lubecensi lucem affundere licet, illud liberam de bonis acquisitis testandi facultatem concedat, salva liberis legitima Romana. Neque præsumendum sane Germanos, apud quos heredes successoresque sui cuique liberi, nullum testamentum, dispositionem Juris Romani moribus suis magis convenientem repudiassent, & aliam, indoli ipsorum contrariam, substituisse.

§. XXVII.

Conjugum Germanis tam arcta tamque sancta semper visa fuit Error XV. societas, ut, cum laborum periculorumque essent focii, uti TACI- Querelam TUS testatur, (g) officium pietatis, si unquam, hic sane exigere crederent, superflui ex bonis defuncti certam assignandi portionem. (h) non com- Contra officium pietatis ergo, sive, quod idem inofficiosum hoc ju- petetere

F 2

re conjugia a defuncto

(f) BÖHMERUS de Prudent. legistat. Jur. Lub. in mat. testam. §. ult.

(ff) Stat. Hamb. P. 3. Tit. 1. art. 23.

(g) TACITUS d. l. C. 17.

(h) GOTTFRIED POLYC. MULLER de Testament. licit. sed non honesto §. 3 not. (d) JO. PAUL KRESS de acquit. Success. Conjug. Du. JO. PET. de LUDEWIG de differenc. jur. Rom. & Germ. in success. Conjug. CHRIST. GODOFR. HOFFMANN de Commun. bonor. Conjug. vera nat. atque indole §. 1. not. c.

conjugem in
testamento
a portione
statutaria
exclusa.

re factum] audit testamentum, in quo nihilominus est ab hereditate conjugum superstes exclusa, quæ nihil, quod exheredatione dignum, commisit. (i) (§. IV.) Quo casu autem cum excluso detur querela testamenti inofficiosi, (§. IV.) conjugum superstes a defuncto ab hereditate lege ipsi adscripta exclusus agit querela testamenti inofficiosi. Et quid est portio statutaria conjugibus debita aliud, quam legitima, utpote cum consistat in certa portione lege determinata conjugibus necessario relinquenda. (§. III.) Legitima autem iis personis, quibus debetur, in testamento non relicta, querela competit inofficiosi. (§. XXIV.) Ergo portione statutaria conjugum superstitum in testamento non relicta, querela instituitur testamenti inofficiosi, sive hoc factum sit præteritione, sive expressa exclusione. (k) (§. XXVI.) Quantum enim me non lateat, quod adhuc sub iudice lis sit, an conjugum testator necessario superstitum relinquere teneatur portionem illam, & an non potius illa saltem debeatur ab intestato, mihi tamen hic sermo est de eo casu, ubi vel per expressam legum dispositionem, vel per interpretationem usuaem, quæ habet vim legis, conjugum non licet eam vel imminutam vel plane non relinquere, quippe cum partim jam dudum alii hac de re edisseruerint, (l) partim meam, quid in dubio hac in lite iustum sit? sententiam demonstrare neque ratio instituti, neque temporis angustia permittat, sed hæc potius mihi necessitatem imponat huic dissertationi dare

F I N E M.

- (i) *Causas ob quas conjugum privari potest portione sua statutaria recensent BARDILI de port. statut. STRYCK. de Success. ab int. Diss. 12. C. 3.*
 (k) *Denegant vero conjugum querelam inofficiosi, & conditionem ex lege illi potius tribuendam esse, statunt ill. LEYSERUS Med. adff. Spec. 425. Corol. 2. BERLICHIVS P. II. Concl. 9. n. 37. JO. CHRIST. SCHROETER de port. Conjug. statut. Th. 45.*
 (l) *Liberum hac in re conjugum testandi stylum relinquunt DAV. MEVIUS ad Jus Lubec. art. 8. Tit. I. P. II. n. 74. ANONYMI Anleitung zur Historie des Lübschen Rechts §. 38. quod tamen e contra negant COTHMANN Vol. I. Conf. 74. MATTH. STEIN de eo quod juris est circa port. conjugum statutarium in Pomer. Orient. §. 13. seqq. SCHÄCHER de portione statut. quat. illi præjudic. inferri possit. c. 2. & 3. Dn. D. CARNATZ de Port. Statut. Lub. C. 7. §. 2. Plures hac de re Auctores vide apud Virum celeberrimum Dn. GOTTL. AUG. FENICHEREN indefessum studii juris promotorem in LIPPENII Bibliotheca juridica.*








ULB Halle
005 361 46X

3







Tri. 62. num. 21.

SINGVLARIA
QUERELÆ TESTAMENTI
INOFFICIOSI

14

1740, 1

CAPITA,
TAM SECUNDVM JVS ROMANVM QVAM
GERMANICVM, AB ERRORIBVS DOCTO-
RVM VINDICATA,

AD SISTENTE NUMINIS DIVINI GRATIA,
AVSPICIIS REGIÆ CELSITVDINIS,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI PETRI ULRICI,

HEREDIS NORVAGIÆ, SUPREMI DUCIS SLESVICI,
HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITHMARSIAE,
COMITIS OLDENBURGI ET DELMENHORSTI

P. 303.

ET RELIQA,
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA
EX DECRETO AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM ORDINIS
PRÆSIDE

AMANDO CHRISTIANO DORN, D.

REGIÆ CELSITVDINI DUCI SLESVICO HOLSATIÆ A CONSILII CAN-
CELLARIÆ, IURIS GERMANICI ATQVE ROMANI PROFESSORE
ORDINARIO, ATQVE FACVLTATIS IVRID. DECANO,

PRO LICENTIA
DOCTORIS

IN JURE PRENSANDI HONORES

DIE V. NOVEMB. ANNO MDCCXL.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

JOACH. CHRISTOPH. UNGNADE,

RÖBELENSIS MEGAPOLITANUS.

KILÆ, LITERIS GODOF. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

